



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Venerabilis Yolandae Priorissae Ad Mariae Vallem in Ducatu Luciliburgensi

Wiltheim, Alexandre

Antuerpiae, 1674

Cap. VIII. Margarita conatur incendere coenobium. Tendit Luciliburgum.
Yolanda rite in Sanctimonialem convestitur, & aspero victu pascitur laeta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11873

eundum tibi mecum, nec vis ulla mihi te eripiet.
Hæc fremens discedit. At Yolanda cum Sancti-
monialibus in interiora domus se recipit.

CAPUT VIII.

*Margarita conatur incendere cœnobium.
Tendit Luciliburgum. Yolanda rite in
Sanctimonialem convestitur, & aspero
victu pascitur læta.*

Sic seiunctis matri & filiæ, diversus erat animi
habitus. Yolanda, iræ oblita maternæ, alijs
iam maioribusque succedentibus curis, in eo to-
tam mentem animumque defixerat, quo pacto in
cœnobio permaneret. Contrà mater omnia ver-
sare animo, quomodo eam inde deduceret. Tu-
multuatur, bacchatur, minas identidem horribi-
les iacit, ceu amens. At familiares veriti, ne
mulier sui impotens exitiale aliquid auderet, me-
moresque denunciati monasterio, nî Yolanda
redderetur, incendij, omnem ubique ignem per
focos iniectâ aquâ extinguunt. Interea nox in-
gruit, & matronis decubitoris adfertur candela.
Hanc continuo Margarita raptam stramini im-
mittit, conceptasque parieti flammam injicit. Sed
è vestigio accurrentes matronæ ubique elisere
flammam. Non exemptus tamen iræ ardor Mar-
garitæ, quo per totam noctem agitata efferbuit.

Manè

Manè ubi diluxit, celeriter Luciliburgum proficiscitur, & ibi [Henrico] Comiti dolorem suum, querelis apud eum depositis, impertitur. Is ei suam addicit operam: quâ re utcunq̄ue recreata, triduum ibidem permanet.

Inter hæc Yolanda, existimans se iam è matris potestate ereptam, & præteritorum immemor malorum, tertio die à discessu matris Antistitam adit, summisque precibus contendit, ut sacro se habitu ritè convestiat. Planè sibi decretum, in eius cœnobio vitam agere. Placuit is flagitandi ardor Antistiti; nec minus gratum id Prædicatoribus. At deterrebat omnes tenera virginis ætas. Contrà Yolanda obfirmare animum, & ad Antistitam, Ne dubites, inquit, Domina; sum planè, quæ cuncta Ordinis vestri probè perferam; & si nescis, supero iam annum ætatis decimum quintum. Cæteris de rebus nihil mihi curæ. Hîc quidem vivere & mori volo. Quod si ætas mea obstat, fac operæ & temporis compendium, & quod olim præstandum mihi, id tu nunc præsta. Itaque da velum, da habitum omnem sacrum, te obtestor. Tandem Sanctimoniales deliberatione habitâ Yolandæ assentiuntur. Ritè velatam & pallio indutam, deducunt ad *chorum*. Quò cum omnis familia confluxisset, sacrificium celebrare apparant de B. Virgine, cantu, ut solet, intermixto. Simul cum cæteris alacriter concinere Yolanda, iam desiderio edocta, quod ne dedicerat quidem. Ubi sacrificium
pera-

peractum, mensæ accumbitur. Erat cibus supra quam putaverat Yolanda, admodum durus, furfuraceus panis, potus tenuis. Edebat tamen ipsa sapidè, facilè oblita deliciarum, quibus Viennæ in aulâ paternâ assueverat, Quippè dum ne è cœnobio cogeretur discedere, certa pati omnia aspera, ipsamque adeo mortem.

CAPUT IX.

Margarita Luciliburgo redit ad MARIÆ Vallem cum Senatu Comitum Luciliburgensis suisque clientibus; inter quos Cuno de Rulandi, Theodorici frater. Yolanda partim vi, partim astu abducitur Luciliburgum; ubi à matre veste sacrâ spoliatur, & tandem Viennam per multa Ludibria reducitur.

INter hæc Luciliburgo rediens appropinquat Margarita, multâ comitante virorum equestrium atque nobilium familiarumque turbâ. Aderat quoque Senatus Comitum Luciliburgensis [constans hominibus summo loco natis, In tabulis quibusdam Tifferdinganis, novennio antè hæc tempora scriptis, nominantur *Edelinus de Meisenburch, Dominus Robinus de Asche, Dominus Viricus de Berepere, D. Rudolfus de Vilaro, D. Egidius de Rodemacherâ.* Inter clientes verò Margaritæ
erat